



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. V. An autoritas S. Augustini in materia de gratia sit omnino infallibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

tiam, quam prævidisset fore congruam, & tamen omittere decretum formaliter prædefinitivum. Verum est, quod juxta nos voluntas creata possit impedire; sed non, quod possit eam ponere; unde, si ponitur, à solo DEO ponitur. Quare actus voluntatis creatæ, conditione prævisus, non est causa, sed ad summum conditio sine qua non: sicut scilicet non potest sanari, nisi æger, quin morbus sit causa sanitatis.

ARTICULUS V.

An Authoritas S. Augustini in materia de Gratia sit omnino infallibilis.

211. Janseniani semper in ore habent authoritatem S. Augustini, & non videntur curare multum alios Patres, rati, se certissime tunc vicisse, si Augustinus ab ipsis sterz; nam dicunt, quidquid S. Augustinus scripserit, esse ab Ecclesia approbatum, adeoque ab eo non posse recedi, præsertim in materia de gratia. Verum, ut ut S. Augustinum summè æstimem, eique laudes suas plane non invidiam, tamen eum sacris, aut omnino infallibilibus scriptoribus, accensere non possum; id enim prohibet ipse S. Doctor.

Sic enim scribit. *epist. 7. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversum eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis: facile in eo, me ipse iudice, superamini, quoniam non mihi placet, cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum; & lib. de bono persever. c. 21. Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio liberos, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.*

212. Itaque inprimis argumentor ad hominem. Dicunt Janseniani, esse questionem facti, qualem sensum author aliquis in libris suis intendat, & Ecclesiam, atque Pontificem esse fallibilem in questionibus facti: imò Pontificem actu deceptum in intelligendo libro Jansenii, ejusque sensu percipiendo: cur igitur non etiam poruit falli, in intelligendo sensu S. Augustini, eumque malè approbasse, approbando tantum sensum aliquem, non obviu, quem verba præferunt, sed aliquem reconditum, quem S. Augustinus non habuit, & qui nobis ignotus est? sicut ipsi dicunt, Ecclesiam damnasse, non sensum obviu verborum in Jansenio, sed tantum aliquem occultum, quem propositiones possent habere, attamen Jansenius non intenderit. Hæc responsio utique tantum est ad hominem; nam nec est questio pura facti, quis sensus sit libri alicuius: nec in questione simili Pontifex, aut Ecclesia est fallibilis; aliàs possemus eodem modo dicere, libros Lutheri, & Calvini, non bene intellectos fuisse à Tridentino, sed malè damnatos.

213. Directè autem nego quòd S. Augustini libri, etiam de gratia, sint quoad omnia infallibiles, aut quasi canonici. Ita docent Cardi-

nalis Sadoletus, Claudius Jaintes, Hieronymus Osorius, Albertus Pighius, Cardinalis Hotenfi. S. Bonaventura, S. Thomas, Cornelius Muslus, Joan. le Fevre, Scotus, Joan. Viguier, Dominicus Sotus, Ferdinandus Vellofille, Petrus Arragon, Bartholomeus Medina, Joannes Driedo, Ruardus Taperus, Genebrardus, Sixtus Senensis, Gabriel Pennot, Franc. Horantius, Cardina. Augustinus Valerius: quos citat Author libri: *Verus Spiritus novorum Discipulorum S. Augustini. epist. 15.* & plures ex nostris, præsertim autem fusè rem tractat Suarez *Prolegom. 6. de gratia c. 6. à n. 14.*

Primò enim Alexander VIII. damnavit hanc propositionem 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam: cum autem Pontifex nullum librum S. Augustini excipiat, sequitur, quòd, in quocunque hujus S. Patris libro doctrina dicatur fundari, debeat attendi ad Bullas Pontificis: adeoque nullus liber hujus S. Doctoris sit omnino infallibilis aut quasi scripturà canonica; nam hujus sententia clara potest teneri, non respiciendo ullam Pontificis Bullam.*

214. Verum est, Ecclesiam assumpsisse aliquas partes doctrinæ S. Augustini de gratia & Canonibus inseruisse, præsertim sequentia, capitula, quæ continentur in Epistola Cælestini, ad Episcopos Gallie (quæ epistola habetur tom. 7. operum S. Augustini.) 1. In prævaricatione Adam amississe homines omnes innocentiam, & possibilitatem naturalem (de qua suprà n. 109.) ad salutaria: & neminem per arbitrium liberum è ruina illa, sine gratia DEI (internâ, non tantum externâ legis, atque doctrinæ) posse resurgere. 2. Neminem esse per semetipsum bonum, sine gratia DEI, qui solus est bonus. 3. Neminem, etiam baptizatum, posse superare insidias dæmonis, aut concupiscentias carnis, nisi quotidiano auxilio perseverantiam à DEO acceperit. 4. Neminem bene uti libero arbitrio, nisi per Christum, adeoque omnia bona opera referenda ad DEUM, plùsque in bonis operibus valere Divinum auxilium, quàm humanum arbitrium. 5. Omnes motus bonæ voluntatis esse à DEO, sine quo nihil possumus. 6. Anathemati eum subesse, qui dicat, gratiam, quajustificamur, ad solam prodesse peccatorum remissionem, non verò ad eorum evitacionem. 7. Anathema etiam dicendum ei, qui dicat, gratiã tantum aperiri, ac revelari intelligentiam mandatorum, ut sciamus, quid appetere, aut vitare debeamus: non autem per illam præstari, ut velimus, aut faciamus: aut eã tantum opus esse ad facilius posse, non autem ad simpliciter posse. Similiter Canones Arausiano II. à Leone Papa, ut creditur, submissi, & Apostolica auctoritate confirmati, ex S. Augustino desumpti sunt.

Et quoad ista Capitula, atque istos Canones, utique hujus S. Antistitis doctrina est doctrina Ecclesiæ: at ex hoc non sequitur, quòd doctrina ejus omnis de gratia sit universaliter approbata; nam idem Cælestinus in fine dicte epistolæ subiungit: *Profundiores verò, difficultioresque partes, incurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis resisterunt, inter quos maximè est S. Augustinus* sicut non audemus con-

contemnere, ita non necesse habemus asstruere: ad-
ditque rationem; quia ad confitendam gratiam
DEI, cuius operi, ac dignationi nihil penitus sub-
trahendum est, satis sufficere credimus, quidquid se-
cundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scri-
pta docuerunt.

215. Dices. Tamen Joannes II. in epist. ad
Senat. illustres, quam exhibet Binius tom. 2. Con-
cilliorum p. 1. fol. 207. ita ait: S. Augustinus, cuius
doctrinam secundum præcessorum meorum statuta
Romana sequatur, & servat Ecclesia: ergo do-
ctrina S. Augustini est doctrina Ecclesiæ. Resp.
In ea epistola nec verbum reperitur de gratia;
sed de longè alia questione: ergo juxta adver-
sarios deberet Pontifex voluisse dicere, quod
totam doctrinam S. Augustini sequatur Romana
Ecclesia: hoc autem planè est falsum; unde re-
stringenda est propositio, & intelligenda, vel
tantum in ordine ad questionem, de qua ibi agit
Pontifex, scilicet: An Christus possit dici unus de
Trinitate: vel relativè ad ea verba: secundum
Præcessorum meorum statuta: hoc est: Ecclesia se-
quitur S. Augustinum in iis, in quibus Prædeces-
sores Pontifices statuerunt, eum esse sequen-
dum, quatenus ejus doctrinam inseruere Ca-
nonibus sacris.

216. Afferunt adversarii adhuc Concilium
Constantinopolitanum II. quod fuit OEcume-
nicum V. item Concilium Rom. I. sub Gelasio
dictumque, in his approbata fuisse opera S. Au-
gustini. Sed Concilium utrumque plùs non
facit, quam quod dicat, à se S. Augustinum cum
aliis SS. Patribus (quorum plures recenset, ut
videre est apud Binium tom. 2. Concil. p. 1. fol.
265. & 270. recipi, aut approbati: imò Con-
stantinopolitanum non dicit, se recipere omnia
indefinitè: sed ea omnia, quæ ab his de fide recta,
& ad condemnationem hæreticorum conscripta, &
exposita sunt. Quis autem dicat, hoc esse idem,
ac declarare infallibilem esse S. Augustini au-
thoritatem? Gelasius in Concilio Romano
apud Binium loc. cit. fol. 265. statim S. Augusti-
no subiungit S. Hieronymum, & hunc eodem
modo approbat, qui tamen aliquoties contradi-
ctoriam S. Augustino sententiam defendit. An
igitur utrumque contradictorium infallibiliter
verum erit?

217. Idem Janseniani afferunt etiam Cœ-
lestinum I. epist. ad Episcopos Gallia: ubi sic scri-
bit: Augustinum, sanctæ recordationis virum, pro
vita sua, atque meritis, in nostra communione sem-
per habuimus, nec unquam hunc sinistra suspitionis
saltem rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fu-
isse meminimus, ut inter Magistros optimos, etiam
a meis semper decessoribus, haberetur. Sed hoc
totum concedimus, necdum tamen ideo infalli-
bilis est; non enim eum infallibilem esse, infert
Pontifex, sed tantum aliud, nempe, quod debe-
ant compesci ejus obtrectatores, qui eum sug-
illant. vide Binium tom. 1. Concil. part. 1. fol.
733.

Addunt, iidem adversarii, Papam Hormi-
dam dicere, ex libris S. Augustini posse colligi,
quid Ecclesia credat, delibero arbitrio, & gratia:
sed respondetur, quod ibi Pontifex addat. Et
maximè ex libris S. Hilarii & S. Prosperi: ergo
etiam isti deberent esse infallibiles. Dein, etsi hoc
ex illis libris disci possit; quia etiam continentur

in iis doctrina Ecclesiæ, non tamen sequitur,
quod nihil aliud contineatur; nam idem Papa
ait, haberi articulos in archivio, quos, si neces-
se sit, mittere velit: ergo quidem quoad illos
articulos, qui etiam continentur in libris S. Au-
gustini, hic est infallibilis: non verò quoad o-
mnia, præsertim, cum Cœlestinus cit. num. 214.
profundiores questionēs excipiat. Unde ex his
elogiis, S. Augustino pro merito datis, adversarii
intentum non evincunt.

218. Certè de S. Thoma Aquinate Pontifices
non videntur saltem minora dixisse. Joannes
XXII. qui cum inter Sanctos retulit, dixit, non
esse opus miraculis; cum tot fecerit miracula,
quot decedit questiones. Innocentius VI. asse-
ruit, ejus doctrinam esse super doctrinam omni-
um aliorum, exceptis scripturis canonicis: ha-
bere veritatem rerum, modum explicandi, pro-
prietatem terminorum talem, ut, qui eum se-
quuntur, non recedant unquam à via veritatis,
& qui ab eo recesserit, fuisse suspectum erroris,
ut habet Ribadeneira in vita 7. Martii item
Francolini in Tyrocinio Theologico p. 2. §. 2. n.
65. Clemens VIII. in Bulla ad nobiles Neapolita-
nos, ait, doctrinam S. Thomæ sine ullo prorsus
errore esse. Alexander VII. ait, asserta S. Tho-
mæ esse dogmata inconcussa: qua de re mere-
tur videri Tyrocinium Theologicum Balthazaris
Francolini p. 2. num. 65. Similia encomia eidem
Angelico dedere Pontifices alii, & nuperrimè
SS. D. Benedictus XIII. in Bulla: Pretiosus in
conspetu Domini §. 41. Num propterea Scoti-
tæ contradicere se putant infallibili veritati, quan-
do à S. Thomæ sæpe cum suo Doctore rece-
dunt? Similiter approbata est à Clem. IV. Greg.
X. Sixto IV. & Sixto V. doctrina S. Bonaven-
turæ, ut testatur idem Francolmus loco supra ci-
tato; quin tamen censeantur omnia ejus scripta
infallibiliter vera.

219. Hinc Tostatus Defensorii p. 2. c. 81.
sub initium ait, S. Augustini libros esse probatos,
ut aliorum libri à Pontifice Gelasio sunt appro-
bati: non autem omnia, quæ in illis continen-
tur, tenenda, tanquam certò, & infallibiliter ve-
ra: & addit, eos, qui ita loquuntur, nescire, quid
sit approbare; cum juxta hos librorum appro-
batorum, & canonicorum æqualis foret autho-
ritas, atque Ecclesia, cum approbaverit etiam
Hieronymum, reddidisset vera contradictoria.
Unde, ut idem Author loc. cit. c. 83. ait, appro-
batio Ecclesiæ tribuit libro quatuor ista. 1. ut
omnes fideles possint librum legere. 2. quod ju-
dicetur utilis ad instructionem, & ædificationem.
3. defendit authorem contra suspitiones, quod
voluerit tradere errores. 4. quod possit citari,
& ejus autoritate roborari sententia: quæ etiam
authoritas, si quis fortè eà ductus erret, admit-
titur tanquam excusatio, ut quis non judicetur
deliberatè voluisse errorem docere: modò po-
stea se subiciat iudicio Ecclesiæ.

Cæterum absque omni dubio est tenen-
dum, quod S. Augustini autoritas omnino sit
ingens, & hinc, ut dictum, hæretici etiam eum
sibi arrogare contendunt, ut magno hoc nomi-
ne se se defendant: quod ipsi doleret in cœlo,
si doloris esset capax. Ejus autoritatem maxi-
mè in materia de gratia plurimi semper fecere
Pontifices, quin & Concilia, præsertim Milevi-
tanum

ianum & Arausicanum II. SS. Patres, Hieronymus ep. 25. inter epist. S. Augustini, Prosper, Fulgentius, alique, quin & Ecclesia tota eum inter præcipuos Patres, si non omnino primum, saltem nulli secundum, veneratur; unde meritissimo jure ejus sententia plurimi æstimatur, præsertim in materia de gratia: qua de re optimè scribit Suarez,

220. Hic Eximius Doctor Proleg. 6. de gratia c. 6. n. 17. docet quidquid in hac materia (de gratia) Augustinus, ut certum affirmat. Et ad dogmata fidei pertinens, à quolibet prudente, & erudito Theologo esse tenendum, ac defendendum; etiamsi non certò constet, esse ab Ecclesia definitum; quia, cum Ecclesia tantum in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinam in dammandis erroribus, gratie DEI contrariis secuta fuerit, magna esset temeritas privati Doctoris, qui Augustino aliquid de gratia DEI tanquam orthodoxum docenti contradicere auderet. Ulterius infert, credendum omnino esse, in doctrina S. Augustini de gratia, nihil inveniri, quod non sano modo intelligi possit, seu ita, ut Catholicæ doctrinæ non sit contrarium; cum Ecclesia ejus judicium tam fidenter secuta sit.

Unde in his rebus, etiam quoad ea, quæ Augustinus tantum probabiliter, simpliciter tamen, & constanter amplectitur, sententia ejus præferenda est, nisi Ecclesiæ, vel communis Patrum autoritas, videatur ob stare, quod raro, vel nunquam continget: & eo casu potius explicandus, quam reprobandus esset S. Augustinus. Hæc tamen dicta, ait Eximius, n. 18. intelligenda sunt de operibus S. Augustini de gratia, non verò de iis, quæ de prædestinatione scripsit (nisi habeant necessariam connexionem cum dictis de gratia) nam de prædestinatione Ecclesia nihil definivit, nisi in generali, scilicet eam dari: quanquam etiam quoad has questiones autoritas Augustini sit ingens.

ARTICULUS VI.

Quid sit hæresis Janseniana.

221. Cornelius Jansenius Iprensis (non Gandavensis qui jam anno 1576. 10. April. ætat. 66. mortuus est) natus fuit anno 1585. in exiguo loco Hollandiæ Accoy dicto, prope Leerdamum, parentibus plebeis. Inde studiis primò operam dedit Ultrajecti, postea Lovanii Philosophiæ, ac Theologiæ, sub Magistro, qui fuit discipulus Baii: qua in Universitate etiam Doctor Theologiæ fuit creatus. Abiit dein in Franciam anno 1607. & exceptus à Joanne du Verger de Havrane, famoso Abbate Sancyrano, atque ab hoc commendatus cuidam consiliario Regio Parisiis, aliquo tempore filiorum istius moderatorem domesticum egit: tum Baionæ, Collegio principali recens erecto, Director est datus, ad ejusdem Abbatis commendationem, cum quo dein indissolubilem amicitiam coluit.

Hic duodecim annis duo isti simul studiis vacarunt, legendo præsertim S. Augustino. Rediit Jansenius inde Lovanium, ibique Collegio S. Pulcheriæ Præfectus, & à Philippo III.

Hispaniarum Rege, S. Scripturæ Professor est renuntiatus. Hic coepit elaborare suum Augustinum; cum enim occasione Pseudosynodi Tridentensis, à Calvinianæ sectæ Ministris celebratæ, studuisset materiæ de gratia, & sæpius S. Augustinum voluisset (decies, & amplius universa opera S. Augustini, & libros contra hæresin Pelagianam facitè trigesies eum pervolvisse testatur vitæ synopsis, ejus operibus præfixa) & ipse libros de gratia scripsit, quos Augustinum hoc est, Augustini doctrinam nominavit.

Interim ter nomine Academiæ legationem in Hispanias ad regem obiit: ac tandem occasione libri, quem contra Gallos scriptum Martem Gallicum vocavit, ad Insulas Iprenses promotus est anno 1635. eadem die, qua natus scilicet 28. Octobris, qua etiam post annum Episcopus consecratus est: & hic loci videtur Augustinum suum absolvisse. Mox, ut ait Morenius, reformare coepit suam Dioccesin: sed absolvere opus ceptum non potuit anno 1638. 6. Maji defunctus ex peste, quæ urbem illam invaserat. Moriens librum suum reliquit amicis, typis edendum, sed, ut ajunt, mediâ ante mortem adhuc horâ, omnia scripta subjecit judicio Ecclesiæ Catholicæ; unde non potest dici hæreticus; cum primum post ejus mortem liber sit condemnatus. Quidam in dubium vocant, an ea submissio sincera fuerit: sed melius est meliora sentire.

222. Liber hic non statim post mortem, sed anno 1641. prodiiit, infelix posthumus: aulico quidam Societatis nostræ Doctores thesibus publicis se ei opposuerunt: & post hos alii plurimi doctissimi viri, etiam Doctores Sorbonici. Accusatus quoque liber est anno 1649. apud Sorbonam, & condemnatus. Sed mox sexaginta Doctores contra sacram facultatem illam insurrexerunt. Hinc anno 1650. mense Mayo in Conventu Cleri conclusum est eundem Romam: quare octoginta quinque Episcopi Gallici, quibus postea accesserunt tres alii, librum ad supremum Summi Pontificis Innocentii X. tribunal detulerunt.

Equidem Urbanus VIII. librum Jansenii, vix ubi lucem aspexerat jam damnaverat, tanquam restaurantem errores in Baïo damnatos, editâ Bullâ in Eminent. 4. Martii 1641. ac ejus usum omnibus sub excommunicationis poena interdixerat: sed hoc satis non erat, ad sufficienter ab ejus lectione absterrendos, amantes novorum homines; hinc Innocentius X. Urbani successor, maximâ diligentia, tum per se, tum per alios doctissimos viros, iterum librum excussit. Habita sunt hac de causa viginti duæ congregationes consultorum, ac Cardinalium, & post has alia decem, coram ipso Pontifice, ubi defensoribus Jansenii concessum est loqui ac sese defendere; indictæ sunt etiam preces Romæ in præcipuis templis. Tandem Pontifex quinque famosas propositiones, quæ præcipuam libri doctrinam complectebantur, selegit, easque anno 1653. pridie calendas Junii Constitutione gravissima, quæ incipit: Cum occasione: hæreticas declaravit.

223. Sunt autem præpositiones istæ: Prima: Aliqua DEI præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundum præfentes, quas